Ossoliński Christoph. Baldov. Corona civica ob cives ab hoste Moscho servatos.

CORONA CIVICA

Ob Ciues ab hoste Moscho seruatos.

Triumphatori Serenissimo & felicissimo

VLADISLAO IV.

Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ, &c. &c. Moscuæ Victori GLORIOSO,

Debita cum submissione.

A Nobili

CHRISTOPHORO BALDOVINO de Tenczyn OSSOLINSKI, S. R. M. Cubiculario, Equite Aurato, Capitaneo Stobniceñ. Castellanid. Sandeceñ. Acad. Crac. Studioso,

IN DECLAMATIONE PVBLICA

Ex Palæstra Profess. Eloq. Tyliciani

OBLATA.



Corona Ciuica.

SI NON PRIVATO SENSV & affectu, quàm ſalute & dignitate Patriâ, Sereniſſ: Regis in Repub. tuenda ſolicitudinem metiamur A.N, incredibile fateamur eſſe beneficium, quo ſibi vniuerſos ordines, periculoſiſſimo confecto bello S.R.M. deuinxit. Nam ſi quid carum in Patriâ homini libero eſſe poteſt, ſi Religionis ſanctitas, Legum autoritas, Ciuium libertas, ſi deniq; publica Regni, apud exteros eXiſtimatio in pretio eſt; hæc per S.R.M. ab iniuriâ hoſtili vindicata feliciſsimè, agnoſcimus. Perdomuit feliciſsimus victor Septemtrionem, crudeliſsimè armis in nos efferueſcentem: conſeruauit ab vltimo excidio ſuæ fidei creditos & permiſſos ciues: reſtituit Patriæ, quæ hoſtilis cupiditas ſuſtulerat violenter. Exinde inſigni quadam nos affecit voluptate, cùm inuſitato & propè nō humano more, in oculis tot populorum inſtituit

Panegyrim. Etenim insolito quodam genere vincendi, & retrò sæculis anteacta memoria conflixit, cum potentissimo & grauissimo hoste, qui nos ad internecionem dies & noctes deposcebat, qui nos nō solùm hac luce communi eiectos volebat, sed omni etiam labe, atq; ignominia notatos, ad ludibrium crudelissimè vniuersis proponebat. cur igitur non omni gestiamus voluptate, quorum salus, libertas, fortunæ, vniuersæ deniq; spes, ad pristinam reuocatæ felicitatem? Quid quod, Regnum crudelissima vindicatum impetitione, cogitati facinoris Principes compressi, refrenati; ferrum quod in Patriam nostrā acuerunt, iugulis suis receperunt. Cùm verò genti nostræ grauissimam meditarētur procellā, sine tumultu magno, sine diuturno bello, immanitatis machinatores, sublati, compressi, extorta de manibus eorum armâ; nunc alijs documēto sunt, né vnquam talis in quoquam existat amētia, quę contra rem Domini sui, cōtra dignitatē, contra Publicam libertatē, aliquid moliatur. Ingens profectò Regni nostri, hęc debet esse lætitia,

hostem

hostem nomini nostro extinguendo iuratum, qui numeroso prædatorum agmine nostris imminebat in Moscua Prouincijs, castris exutum, fugatũ, victum, vitam & libertatem, quam armis & furore tueri non poterat, precariò à Clementissimo victore accepisse. Magnum fuit eum præsidijs suis quæ circumcirca Smolenscum in Coronam duxerat exturbari: multò maiꝰ Smolenscum obsidione periculosissima vindicari, maximùm profectò vltimam spem Moschorum, cum eorũ Duce, sine sanguine, sine prælio, vinci, exarmari, atq; ad fædus paciscendum, ostentato armorum terrore compelli. Hæc gloriosa sunt, hæc immortalia, & omnium admiratione celebranda; potuisse à felicissimo & Serenissimo victore VLADISLAO IV. tàm subitò (inquam) potuisse hostem, commeatu, armis, milite, præsidijs, aggeribus, exercitatione diuturna munitum, instructum, suis Viribus magnoperè præfidentem coerceri, comprimi, à superba contumacia ad humilem modestiam deduci? Nimirùm Serenissimus & felicissimus Bellator noster longè maiori

 felici-

felicitate, rem tàm formidoloſam cum hoſte egit, quàm Cæſar ille, qui ſe veniſſe, vidiſſe, viciſſe dicebat. Cùm ſola aduentus Sereniſsimi noſtri in oras illas fama, hoſtis ab inſania ſua remittere videretur. Quo circa ob memorabilem & multis modis inſignem victoriam, ob præclariſsimam hanc animi Regalis in Rempub. teſtificationē, ob ſeruatos etiam Ciues, feliciſsimo victori, cùm triumphales laureas, vetera militiæ glorioſę decora, potiſsimùm verò, Coronam Ciuicam, omnibus votis & ſuffragijs decretam declarabo; vbi quâ tenuitate potero ſecundos in bello graui ſucceſſus, Sereniſsimi Victoris extollam; idq; promptiore voluntate, quám dicendi facultate. Etenim quò iuuenilis imbecillitas non poterit aſpirare, eò mihi grata tantorum in Sereniſsimo victore laborum recordatio, poterit ſuffragari.

Quæ & quanta felicitas Sereniſsimi & Potentiſsimi Regis in hoſte ſuperando fuiſſet, non ex ſermone cuiuſquā, ſed ex ipſius temporis æſtimatione cognoſcere poteſtis A. N. Namq; cùm ægrè à grauiſsimis illis, & primis à Coronatione ſua comitijs, re-

mitijs, re-

mitijs, reſpiraſſet; obiectũ eius Sacræ Maieſtati ne-
gotium perduellis coercendi hoſtis, qui iam aper-
tè Claſsicum canere, fædera frangere, irruptio-
ne agros noſtros depopulari, & grauiter Smolen-
ſcum obſidere nunciabatur. Quid interea animi
fuiſſe putatis recens inaugurato Sereniſsimo Re-
gi? quem Reſpub. ordinum omnium conſenſu,
non ſolùm defenſorem iuris ſui, ſed etiam finiũ
propagatorem declaraſſet? Nunquid tàm aper-
tam diſsimularet iniuriam? num feruentem, &
grauiter infeſtum noſtris hoſtem perferret? Non
js animus fuit Iagellonum ſtirpi Sanctiſsimę, quæ
ad amplificãdum hoc Regnũ data diuinitus, neq;
eiꝰ glorioſiſsimo pronepoti fuiſſet vnquam. Non
diſsimulauit manifeſtam hoſtilis perfidiæ vim: nõ
paſſus periclitari Prouinciarum ſuarum populos,
ſed quantociùs ad extinguendam repentini incẽ-
dij flammam accurrit, ſubſidia repentina colle-
git; vt in ipſo limine naſcentẽ rebellionis impe-
tum, quaſi Hydram diuinus Hercules frangeret,
retardaret Vix percrebuit fama aduentus in il-
las oras Sereniſſ: Regis, recens conſenſu ordinum

Corona-

Coronati; difficile dictu est, quántùm perduelles illi qui sibi cauti & prouidi atq; omni genere armorum instructissimi videbantur, animis concidere, metum non dissimulare, perturbari, intercinis laborare seditionibus, cæperunt. Cinxerant arctissimè Smolenscum, aggeribus, cuniculis, arietibus, continuò vim obsessis faciebant; sed quantò pertinacius egerunt, tantò magis conatus eorum irriti, profligati, perturbati. Vis namq; illa vniuersa quæ nostris impendebat atrociter, in eos ipsos grauiter incubuit, vt sibi ipsis post mo dùm graues & molesti essent, nobis verò non nimis formidandi: cùm ab Vrbe & præsidio Smolensci turpiter aufugissent. Spem interea omnibus sibi ereptis, in vno capite factionis Principe SEINO collocarant, qui eos intra aggeres quosdã, non tanquam ad pugnam, sed quasi ad certam laniénam collegerat. Sed quid enim? non tanquã milites in aperto campo pugnantes, sed quasi lepores aut cuniculos in fossis suis aut cauernis latitantes. Quid tu mihi virtutem iactes militarem, quem aggeres, quem fossæ altæ, quem ignita vis

telorum

telorum, & infinita quædam machinarum multitudo defendat? militari & pugnace opus est animo, non Thrasonicâ iactantiâ, & imbelli manu. Si quid præclarè & fortiter aggredi velis, nō humi repere, sed in aperto cœlo, patente campo, belli aleam experiri, vitam gloriæ & Patriæ obsequentem, contestari. Superata nihilominus virtute nostrorum calliditas hostilis, fracta temeritas fortitudine, & superba illa contumacia, iustæ concessit æquitati. Non poterant felicissimo & sapientissimo victori pertinaces illæ feræ amplius restitisse, sed abiectis armis, aggeribus exeunt, signa sua & vexilla ad pedes Clementissimo Regi vitam deprecantes, & libertatem, deponunt. Hæc sunt primigeniç fortunæ Tuæ REX Sereniss: Illustrissima Trophæa; quod nationem iusiurando Tibi aliquando obstrictam, nunc deditione subactam, clementia, mansuetudine, moderatione, in victoriâ præsertim, sis prosecutus. Nemo vnquam seueritatem accusasset Tuam, si in perduelles iure belli agere voluisses, nemo se pro illis opposuisset quos fortu-

 na belli

na belli Tuos eſſe voluiſſet, in quos Tibi vitę & necis arbitrium dediſſet. Tuum erat vel capitis reos agere qui contra Te Principem communibus ſuffragijs illi Imperio declaratum, ita hoſtiliter egiſſent, & præſtantius Imperij caput grauiter inſectati eſſent; & nihil relinquerent eorum quę ad Te euertendum, ad nos opprimendos, ad extinguenda omnia Diuina & humana facere potuiſſent. Cùm verò clementiſsimè ſatis, cum victis egiſti: cùm libertatem, vitam præſentem, conceſsiſti: ſpem melioris fortunæ, ſi obſecundare vellent iniecisti; quo præconio tantam virtutem, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum efferremus? quâ proſequemur gratulatione Tuam Rex Sereniſſ: felicitatem? qui & vincere ſcias, & hoſti ſubiugato, ſed ſupplici veniam concedis. Itaq́ue narrabitur iſta Tua fortiſsime Rex clementia, conſequenti poſteritati, fuiſſe tam beneficum Sereniſſ: VLADISLAVM IV, & clementem in hoſtes, vt eos quos belli Mars vniuerſos oppreſſerat, magnitudine clementiæ ſuæ conſeruauit: neq́ue

conſer-

tiauit ſolum, ſed etiam priſtinæ laudabiliter reſtituit fortunæ. Sed cùm longè maior gloriæ Tuæ amplitudo ex Ciuibus conſeruatis, quàm hoſtibus ſuperatis: tàm cõmemorabili apud omnes Tuæ fortitudini Ciuicam CORONAM quæ immortali fama vrbis per Te ab extremo interitu vindicatæ, floreat: dedicamus, conſecramus. Diuis immortalibus eam ſacram eſſe volebat antiquitas Coronam, quòd Vrbium & populorum tutela, ad eos ſolos pertinuiſſet. Profectò Diuinam oportebat illam eſſe in Te virtutem, quæ tantum impetum, infinitam hoſtium multitudinem, eorumque magnopere inflammatam, Vrbis & arcis Smolenſci exſcindendæ cupiditatem, ſubitò compreſsiſſet, arcuiſſet. Eam idcircò non vt humanam, ſed cælitus ad leuandos hominum oppreſſorum caſus, demiſſam inopinatò fortitudinem in Te veneramur. Te illi Sereniſſime Rex, quos tàm præſenti conſeruaſti periculo (omnes autem conſeruaſti, cùm Rempub: defendiſti) per omnem vitam, ſecundo poſt Deum proſequentur cultu, cuius operâ, &

 manu

manu, DEVS Opt. Max. in nobis ab extremo vindicandis interitu, eſt vſus. Vtque properata extitit in nos à Te beneficentia, ita noſtram tardiorem, nollemus eſſe gratitudinem: tantùm enim gratiæ quiſque detrahit, quantùm moræ adijcit in beneficio cõmemorando. Conſpectioribus idcircò in locis, magna hominũ frequentia, hæc amplißima defigem⁹ Tuæ victoriæ, & noſtræ felicitatis trophæa, in quę nulla vis tẽporis, nulla iniuria vetuſtatis poſsit. Floreſcent illa quotidie magis, atque ſolidam Triumphôrum Tuorum gloriã, poſthumâ etiam antiquitatis memoria, tuebuntur. Quod reliquum eſt; vouemus ex animo, Tuam adeò impenſam & fidelem in Repub. augenda & ornanda operam, glorioſo rurſúm, ex Othomano ſubacto, amplificari & magis illuſtrari Triumpho. Siquidem nihil fuit, quodcunque ad amplificandam Patriæ libertatem & dignitatem pertineret, quod non ſolicitè, laboriosè, & vigili ſtudio præſtare velles. Sentiet iſte cruentus & inſolenti furens audaciâ prædator, vigilare contra eius robuſtam

improbi-

improbitatem, cælestem in causa nostra prouidentiam: atque eius ipsius pro Serenissimo Rege, felices poni excubias, qui eum, non multò ante, Christianitatis totius contra similem Asiaticorum impressionem, felicissimum voluit esse defensorem.

DIXI.

Rectoratu Magnifici Domini CHRISTOPHORI NAYMANOWIC Medicinæ Doctoris & Professoris.

CRACOVIÆ,

In Officina Matthiæ Andreouiensis, Anno Domini, 1634.